



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

5. Temeraria cœpta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Pfal. 118. vocantur *Peccatores terra*; quippe qui terrestribus & brutis cupiditatibus abrepti, cœlestia contemnunt, Deum ipsum cœlo detracturi, si possent vindicem ejus manum exarmare. De his psalmus 36. *Gladium evaginaverunt peccatores.* Sed gigantes hos potentior Gigas debellat, de quo Jobus c. 16. *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* Et Isaias 41. *Ecce confundentur, & erubescunt omnes, qui pugnant adversum te: erunt, quasi non sint: peribunt viri, qui contradicunt tibi. Queres eos, & non invenes, viros rebelles tuos, erunt quasi non sint: & veluti consumptio homines bellantes adversum te.*

IV. (d) Quartam Horatius doctrinam suggerit, dum canit:  
Vis consilii expers mole fuit sua.

Vanæ sine viribus iræ, & vanæ sine mente vires: Proxima ruinae est inconsulta ferocia. Ut cœlum oppugnarent, cæca temeritas impulit gigantes, è terra ortos, in terram redituros: Polyphemus quale corporis monstrum! ab Ulyssæ tamen delusus & interemptus est: cur? unoculus fuit, cui lumen rationis ademptum. Quis robustior Milone Crotoniate? stolidi virium præsentia ipsum perdidit, dum conatus fissam quercum manibus divellere, intra fissuram hæsit, miserimèque periit. Nimirum, plerumque ubi plus est corporis, ibi minus est mentis. Et verum est illud:

Vis multa, sed consilium plura perficit.

In cœlo propugnando plurimum potuere Pallas & Hercules, Sapientia cum Fortitudine juncta. Ex Ovidio discite, Jovem in sua oratione de extinguendo genere humano, boni Principis officium ostendisse, dum ait:

Cuncta prius tentanda; sed immedicabile vulnus  
Ense recidendum est; ne pars sincera trahatur.

Rectè Seneca: Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Et Tullius in Catilin. 2. Quæ sanari poterunt, quacunque ratione sanabo: quæ ressecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manere.

V. (e) Quintò non malè accommodabitur Gigantum fabula ad illos, qui nimis ardua consilia suscipiunt, & fiducia ingenij elati, pede suo se metiri nesciunt; nec antè in altum eniti, & ipsum Jovis solium captare desinunt, quàm vi & mole cœpti temerariè negotij obruti, turpiter deficiunt ac succumbunt. Tales gigantes proponit nobis historia Romana in Cornelio Sylla, C. Mario, L. Catilina, M. Manlio, L. Lentulo,

(d) *Vana sunt vires sine consilio* (e) *Stolidi præsentia.*



tulo, M. Antonio, C. Cassio, Bruto, Sext. Pompeio, aliisque, qui omnes montibus illis, quos congesserant, id est conatibus temerario ausu susceptis oppressi, penas dederunt.

VI. (f) Sextò, non injuria *δεσποχέτω*, seu cum Dijs pugnare dicuntur, qui per seditiones & motus intestinos, Principum ac Magistratum, qui Dijs nominantur in SS. litteris, auctoritatem, opes, eminentiam, postremo vitam eversum eunt; qui vel suis armis, quæ injustè in superiores arripuerant, confossi intereunt; vel à populari multitudine, quam ipsi ad sceleris Societatem & ministerium exciverant, cum res è voto non succedit, opprimuntur. Fulmen Jovis in Gigantes detortum, est vindicta divina à justissimo Deo de ijs sumpta, qui rebelles & contumaces vel in suam majestatem, vel in legitimè prapósitos improba moliuntur ac machinantur.

Hic adverte ansam Gigantibus arma in cælum moliendi præbuisse superum inter se discordiam, quare defuncti hoc periculo aram inter Aëtra statuere, flore ac lemniscis redimitam, ardente flamma; in quam ita lusum:

Anguipedes postquam, perjura cæterua, gigantes  
Montibus exusti succubuere suis.  
Hanc aram statuere Dij, cum mutua pacti  
Foedera, juratas conservere manus.  
Si prius in superis concordia tanta fuisset:  
In Superos nullus verteret arma Gigas.

## SYMBOLUM X.

Lycaon in lupum abit: ejus filia Callisto in ursam.

1. & 2. *Metam.*

### Ethicè.

1. Homo similis bestia.
2. Tyranni imago.
3. Gulosus & avarus.
4. Physiognomia causam præbit Poëtis fingendi metamorphoses.
5. An fiat mutatio hominis in bestiam?
6. Quid intelligatur per has metamorphoses Pœticas?
7. Callisto cur in ursam?

**F**uit vir hic Arcadiæ rex, qui ob impietatem, perfidiam, inhospitalitatem in lupum transformatus est. Res ita contigit. Jupiter Deorum

(f) *Seditiones in magistratum.*

F 2

rum